Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras:
Quisquis ades, linguâ vir mulierque fave!

Ut a. ab antiquissimis seculis mos receptum fuit, Natalium annuas reversi-
ones solenni festivitate recolere: ita idem hic ne nostris qd. moribus et temporibus in de-
suetudinem abiit: posteaquam et vetera imitari decorum, et ex illis in nostros usque q-
dam derivari honestum censuimus. Et sanè hodiernum morem idem servare, quod
veteres religiosè observarunt, nostri temporis experientia satis superque testatur. Lici-
tene id à Christianis fiat, qri solet: in negantem cum Chrysostomo et Ori-
gene Petrus aliique, plurimi verò in affirmantem inclinant. Nec tantum incli-
nant, d. et abeunt in affirmativam sententiam: etiamsi cum exceptione et limita-
tione id fiat. Nam prout communiter Natales celebrari solent, epulis,
comessationibus, luxuria, lascivia, choreis, scurrilitatibus, petulantia, crudeli-
tate, non licitè Christianis illi celebrari possunt. Sic impii facil. Natalitia
a celebrare solent: ut Pharao et Herodes olim fecere: solitusque talium cele-
brationum exitus funestus plerumque ēē. Exemplis prisci aevi id patet quam plui-
mis: Salvium certè Cocceianum, quod Othonis Imperatoris Patrui sui di-
em natalem celebrasset, Domitianus occidi jussit. Considius Proculus, nata-
lem diem celebrans, in curia captus, damnatus et interfectus sub Tiberio legitur.
De Bruti Natali et omine non satis felici Valer. Max. legi potē. Chri-
stianus igitur homo Natales rectè piis precibus et votis non comessationibus,
temperantia, non luxuria celebrabit. Dies n. nostrae nativitatis dies
humanae ē fragilitatis, et nasci in mundum ē in omnis calamitatis induci the-
atrum. Gratiae sunt DEO agendae pro vitalis aurae concessa usura, proque
beneficiis ab ineunte aetate exhibitis. Rogandus ē DEUS: ut praeterita tegat,
praesentia regat, futura secundet. Cogitandum ē die Natali de Emortuali;
atque ut is aeternae lucis Natalis sit, optandum. Quicquid verò de hominum
Natalibus celebrandis sit, unus in Orbe hominis alicujus DEI, et DEI homini-
Natalis ē: quem perpetuâ festivitate meritò boni Christiani devotè quotannis
recolunt: utpote ex quo totius felicitatis nostrae ordo ab illo, tanquam rotundi-
tas circuli à puncto potissimum procedit: quum eo ipso die is editus, per quem salus
nobis reducta, annunciata, oblata, confirmata, obsignata ē, ac quotidie ad-
huc confertur, confirmatur et obsignatur: unde et de hoc verè dici potē die:
Haec ē dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. Est namque
dies venerabilis, memorabilis, admirabilis. Rem itaque et voluntati divi-
nae gratam, et temporis hujus celebritati convenientem, et vestri animi expe-
ctationi, jussuique Venerandi Domini Praeceptoris, ac proprio denique pietatis
officio respondentem facturum me confido, si sacro hoc tempore, quo Eccle-
sia anniversariam Natalis Dominici festivitatem aliquoties piè meditan-
dam proposuit, de insigni claritate ejusdem Natalis verba ad Vos